

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De tertio

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

ratione illorum, neque uvas, neque ficus legere possis, Jer. 8. v. 13. unde Petrus eos vocat fontes sive aqua, 2. Petri. 2. v. 17. in quorum ore non est veritas, Psal. 5. v. 10. Sicut & experientia testatur, salutaris solatio illos carere, & præterire infirmos, ut Sacerdos & Levita, Luc. 10. v. 31. Et ut ipsi cauteriatam habent conscientiam, 1. Tim. 4. v. 2. & tandem absumentur à terrore, Pl. 73. v. 19. sic & illi, qui sequuntur illos, multiplicarunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. Derelinquunt enim fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13.

Ubi igitur hæc κριτήρια inveniuntur, fuge eosdem, si amas salutem tuam, juxta illud 2. Cor. 6. v. 17. 18.

III. Ex Regni cælestis præmio. Omnes enim qui voluntatem Patris cælestis faciunt, intrabunt in Regnum cælorum, h. e. in vitam æternam, quæ Regnum cælorum dicitur, quia in illâ Deus, ut Rex imperiosissimus Magnificentiam suam potenter declarabit, & electos quoque suos Reges constituet, ut cum eo regnent mille annos, h. e. in æternum, Apoc. 20. v. 6.

Cum Regina Arabiæ Hierosolymam adventaret, magnam in admirationem rapietur de Regno Salomonis optimè constituto, dicens: Verus est sermo, quem audiavi in terrâ meâ, de rebus tuis & super sapientia tua. Major est sapientia & bonum, quàm rumor quem audiavi &c.

Quantò plus nos admirabimur, quando Regem in decore suo videbunt oculi nostri, Esa. 33. v. 17. Quia non modo videbimus eum: sed quotidie stabimus coram ipso, & sedebimus cum eo in throno ejus,

sicut & ille vicit, & sedet cum Patre suo in throno ejus, Apoc. 3. v. 21. O quanto perè exultabimus! quando nos Dominus ita extollet, & loco spinæ coronæ, quâ nunc cincti sumus, coronam vitæ imponet, quæ in æternum non tolletur à nobis, Apoc. 2. v. 11. Joh. 16. v. 23. Illic verâ vitâ perfruemur, Sir. 48. v. 12. in cujus possessione ex animo lætabimur, dicentes cum Davide: O Domine, misericordia tua super vitas, Psal. 63. v. 4. non enim ibi mors ultra erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, Apoc. 21. v. 4. sed abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dextera ejus in æternum, Psalm. 16. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Pseudo Prophetas fuge.* Προσέχετε enim, ait Servator, subintellige τὸν ὄν καὶ ὄφθαλμοῦς, intendite oculos & animum, ne à Pseudo-Prophetis cum jactura salutis seducamini. Hoc verò fieri potest

1. *Per studium veritatis*, quando verbum Dei in doctrina & vita tanquam normam sequimur, illud non modo sedulò in templo audimus, sed & domi quotidie scrutamur, an ita se habeant, ut nobiliores Berrhoenses, Actor. 17. v. 11. ita ut voluptas nostra sit in lege Domini, & in illâ meditemur die ac nocte, Psal. 1. v. 2. Prov. 2. v. 12.

2. *Per studium simplicitatis.* Nam scrutans gravia gravatur, Prov. 25. v. 27. qui verò simpliciter credit, nec curiosos est in mysteriis divinis, sed in captivitate

redigit intellectum suum, ut Abraham, Rom. 4. v. 20. optimè sibi consulit, & tutissima viâ ingreditur. Quod enim jam nescimus, sciemus postea, Joh. 13. v. 7. cum venerit, quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est, 1. Cor. 13. v. 10.

3. *Per studium pietatis.* Sedulo Dominum invocemus, ut non modò det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Ephes. 1. v. 18. sed & contrà hæreticos invocemus Dominum: Inventi sunt sermones tui & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiâ cordis mei, Jer. 15. v. 26. Psal. 12. v. 7. 8.

4. *Per studium sinceritatis.* Quando penitus ab iis abstinentes, non abimus in consilium eorum, Psal. 1. v. 1. nec etiam libros eorum legimus, ubi sæpè sub verbis ambiguus venena sua occultant: sed eximus de medio illorum, Esa. 52. v. 11. obturantes aures ad colloquia eorum mala, quæ corrumpunt bonos mores, 1. Sam. 15. v. 34. ab impiis enim egredietur impietas, 1. Sam. 24. v. 14. Ideò vult Spiritus sanctus ut contenti sint in oculis nostris, Psal. 15. v. 4. nec ave eis dicamus, 2. Joh. v. 10.

II. *Bonos fructus ede.* Hinc Servator: Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit &c. Hic elegans simile ab arboribus desumptum nobis proponitur, quibus passim homines in Scripturis conferuntur, in specie verò David de vero Christiano ait: quod sit tanquam lignum, plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, Psal. 1. v. 3.

Ubi notetur

1. *Comparatio,* quæ est inter arborem, & Christianos,

1. *Ratione decrectionis,* 1. Theff. 4. v. 12. Eph. 4. v. 13.

2. *Ratione erectionis,* Phil. 3. v. 14. Col. 3. v. 1. 2.

3. *Ratione radicationis,* Ephes. 4. v. 14. Joh. 14. v. 6.

4. *Ratione afflictionis,* Job. 12. v. 1.

2. *Plantatio.* Comparantur enim non simpliciter arboribus: sed *plantatis.* Duplices aliàs inveniuntur arbores, nonnullæ sunt sylvestres, quæ spontè enascuntur, & fructus sylvestres producunt, his Christianus non confertur: Sed plantatis & frugiferis, quæ per verbum & Sacramenta à cœlesti hortulano irrigantur & sæcundantur, ut sint arbores justitiæ, & plantatio Domini, ut glorificetur, Esa. 61. v. 3.

3. *Fructificatio.* Arbor eo sine plantatur, ut fructus ferat, hoc si facit grata est: si minus, exciditur, & in ignem mittitur, ut ficus illa probat, Luc. 13. v. 6. Sic & Christiani gignant fructus suos, quilibet in functione, in quâ à Deo constitutus est, juxta illud, 2. Petr. 1. v. 5.

Olim in scholæ Atheniensis porta scriptum erat: *Arbor es, ô homo, si sylvestris time, si campestris fuge, si hortensis gaude.* Quo ipso Præceptores discipulis suis inculcabant, ut moribus rusticianis depositis, in artibus & virtutibus se exercerent, adeoque bonos fructus ferrent.

Quod si Gentiles hi è solo naturæ lumine collustrati, virtuti operam dandam censuerunt: Quantò magis nos arboribus frugiferis nos assimilemus, omnem moventes rudentem, ut caritas nostra magis ac magis abundet, in omni scientia, & in omni experientia: ut probemus potiora, repleti fructibus justitiæ per Jesum Christum, in glo-

gloriam & laudem Dei, Phil. 1. v. 9. 10. In id enim nos elegit Christus, & posuit nos, ut fructum adferamus, & fructus noster maneat, Joh. 15. v. 16. Nisi id fecerimus, aliquando dicetur: Succidite arborem, Dan. 4. v. 11. ut quid etiam terram occupat, Luc. 13. v. 7. Quinimò, sicut Christus fici arborem, in quâ nil nisi folia inveniebat, maledictione impetebat, ut aresceret, Matth. 21. v. 19. Sic & illis maledicet die ultimo, qui quidem jam speciem habent pietatis, 2. Timoth. 3. v. 5. verùm fructus Spiritus, qui Gal. 5. v. 21. enarrantur, non adsunt.

III. *Juxta voluntatem Dei vive.* Non enim omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.

Voluntas Dei in Scripturis describitur duplex,

1. *Voluntas arcana*, ex quâ voluntate Deus mundum non modò creavit, sed & quamdiu durare debeat, constituit, item quando Christus ad judicium venturus sit, hoc nulli creaturæ revelavit, Marc. 13. v. 32.

2. *Voluntas revelata.* Quæ iterum duplex:

1. *Voluntas omnipotentia*: juxta quam omnia, quæcunque vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6. & huic voluntati ejus, nemo Angelorum in cœlo, nullus hominum in terra, & nullus Diabolorum in inferno resistere potest: sed quod Deus h. m. decrevit, fieri necesse est, nisi fortè conditio addita sit. Quod locutus sum, adducam illud: cogitavi & faciam illud, Esa. 46. v. 11.

2. *Voluntas beneplacencia*, qua quomodo in nos affectus sit, & quid à nobis fieri velit, manifestavit. Hanc voluntatem suam in duobus libris nobis proposuit, nimirum in libro legis, & in libro Evangelij,

In libro legis voluntatem suam breviter declarat, inquit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deuter. 6. v. 5. & proximum tuum sicut teipsum, Levit. 19. v. 18. In his duobus mandatis, universa lex pendet & Prophetarum, Matth. 22. v. 37.

Quod si igitur hic examen instituimus, facile deprehendimus, nos legem implere non posse: unde æterna maledictio locum haberet, Deut. 27. v. ult. Verùm in libro Evangelij ostenditur solatium, dum Christus nos à maledictione legis sanctissimo merito suo, quod pro totius mundi peccatis præstitit, redemit, 1. Joh. 2. v. 2. Hoc si verâ fide apprehendimus, certi sumus, quod nihil nos separare possit à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu, Rom. 8. 38. 39.

Sed & dignè Evangelio Christi conversemur, Phil. 1. v. 27. & discedamus ab omni iniquitate, qui nominari Christiani à Christo volumus, 2. Tim. 2. v. 19. Hæc enim voluntas Dei, ut credamus in Filium ejus Jesum Christum, Joh. 6. v. 40. hæc voluntas ejus, ut diligamus alterutrum, 1. Joh. 3. 23. Hæc voluntas ejus, sanctificatio nostra, 1. Thess. 4. v. 3. Summa: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum Deo tuo, Mich. 6. v. 8.

Quod si ad perfectionem pertingere non possumus in hac vita, tamen Pater cœlestis imbecillitate nostra contentus esse vult, propter Christum dilectum, in quo nos gratificavit, Ephes. 1. vers. 8. quin & imperfectam nostram obedientiam, quæ ex sincero corde proficiscitur, ex gratia remuneraturus est.

Qui

Qui enim voluntatem Dei faciunt, exaudiuntur, Joh. 9. v. 31. fratres Christi erunt, Hebr. 2. v. 11. & habebunt vitam æternam, Joh. 6. v. 47. Ibi voluntatem Dei in summa

perfectione faciemus, seruientes Deo, die ac nocte in templo ejus, Apoc. 7. v. 15. Quod Deus ex gratia nobis omnibus propter Christum largiatur, Amen.

DOMINICA IX. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 16. v. 1 -- 9.

EXORDIUM.

Vidit Vates Zacharias in visione virum, in cujus manu funiculus menforum, quem cum interrogaret: quò tu vadis? dixit ad illum: Ut metiar Jerusalem, & videam, quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus, Zach. 2. v. 1.

Hæc allegoricè interpretanda veniunt. Vir, qui Prophætæ visus, est Dominus Deus noster, qui omnia dinumeravit & mensus est, Sir. 1. v. 9. quin adhuc hodiè metitur, non modò Jerusalem, sed & omnium hominum verba & opera, imò & gressus considerat, Prov. 5. v. 21. normâ mandatorum suorum, quæ nobis præscripsit, ut vitam ad eam componamus. Nam qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei, Gal. 6. v. 16. quod verò cum eâ non consentit, sed declinat in curvas vias peccatorum, Psal. 125. v. 5. aut ad dexteram, aut ad sinistram, Esa. 30. v. 21. est *avopia*, illegalitas, 1. Joh. 3. v. 4. nec Deo placebit, Psal. 5. v. 5. Propterea aliquando dicitur: Redde rationem villicationis tuæ! Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum sive malum sit, Eccl. 12. vers. ult. ita ut etiam ratio red-

denda sit, de quovis verbo otioso, Matth. 12. v. 36.

Sicut igitur Zacharias levavit oculos suos, & vidit virum, in cujus manu funiculus menforum fuit: Sic idem & nos faciamus, ut cogitationibus semper intenti simus in eum, qui oculos suos nunquam non in nos conjicit, & accuratè observat, quid agamus, quid loquamur, quid cogitemus: nam & cogitationes nostras de longè intelligit, Psal. 139. v. 3. sic eò cautius ambulabimus, Eph. 5. v. 15. & in æternum non peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Id villicus non observavit, de quo in prælectâ Pericope dicitur: quod dissipaverit Domini sui bona: ex hæc ipsa causa quoque ab officio remotus.

Nos instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Sicut homines ab araneâ artem texendi, & à cornicibus, corvis & graculis do-